



# Disputatio medica inauguralis de medico in morbis quibusdam spectatore

<https://hdl.handle.net/1874/347231>

18.

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE

Medico in morbis quibusdam Spectatore.

*QUAM,*

DIVINO FAVENTE NUMINE,

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimæque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
ritè, & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini submittit*

OTTO ARNOLDUS RIPENHAUSEN, Gottingensis.

*Ad diem 21. Junii, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clo Ioc Lxxxix.

Meditatio in modis supradictis

DIVINISATIONE ET MEDIATIONE

ET DIVINISATIONE ET MEDIATIONE

IN HABITATIBUS ET IN MEDIATIONIBUS

ET IN HABITATIBUS ET IN MEDIATIONIBUS

TRAJECTORIA RANII

Ex Officio FRANCISCI HALMA, Academicis

Thesaurus, apud IXXIX.

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

D E

Medico in morbis quibusdam Spectatore.

### THEISIS I.

 Rudens & verissimum est Hippocratis dogma : Diætam innocentissimum esse morborum præsidium , adeoque præ reliquis , imo , ubi sufficit , solum eligendum ; quod si vero morbis extirpandis impar fuerit , è pharmacia quærenda auxilia , his autem si morbus major sit , chirurgica validiora , ferrum scilicet & ignem advocanda .

I I.

Medendi sic gradus , viamque monstrante nobis divino sene , collata morbi indole & genuinis causis , quæ instar nauticæ pyxidis , quo eundem sit , indigitant , ac medentum conatus dirigunt , intentissima diligentia dispicere oportet , è quo fonte petendum sit remedium , num diætæ aut pharmaciae obediat cedatque affectus , num utram-

A 2

que

#### 4 DISPUTATIO MEDICA

que respuens potentius requirat , num denique  
humanum auxilium plane non admittat.

#### I I I.

Judicio ergo opus est in morbis omnis generis mitioribus , atrocioribus , brevibus , longis , chronicis , acutis , benignis , malignis , ut scias , an levioribus debilioribusque , an efficacibus & vehementioribus potius aggredienda cura , an vero contemplatorem agere , quam pharmacorum propinatorem satius sit. Præstat enim utique non raro , medicamentum nullum adhibere , quam continuo eorum & intempestivo usu naturam defatigare , atterere , imò tandem destruere. Aptè rem exprimit Borellus Cent. 3. obs. 50. *Medicum non minus esse , qui remedia ægrotantibus admovere , quam qui utilitè removere novit.*

#### I V.

Insitum nobis esse innatumque tale principium activum , ( à Deo Creatore impressum & *Naturæ* nomine expressum ) quod non functiones faltem ad vitæ sanitatisque integritatem pertinentes gubernet & conservet , sed morbosa etiam semina ad maturitatem quasi ducat ; ac corpus ab illis liberet ,

## I N A U G U R A L I S. 5

ret, & humorum defæcationes efficiat, constanter credimus; cui tanquam fundamento Hippocraticum effatum innititur: *Medicum sèpe spéfato-rem in morbis agere restius, quam subito iisdem quæ-  
rere & applicare remedia.*

### V.

Dicerem ergo, non raro in morborum curationibus arcanum esse, nihil agere, & quo vergat optima morborum medicatrix natura, curiosius ante dispicere. Quemadmodum enim prudens taciturnitas ac silentium in communi vita stultæ & improvidæ loquacitati multum est anteferendum, sic dum morborum catervam intueor, & per eorundem historiam mentem circumfero, abstrusos imprimis, obscuros, insidias occultantes, exiguis blandisque crebro initiis periculum maximum minitantes, scrutor, tutius iturum existimo, de artis suæ certitudine modestius sentientem speculatorem, qui motum morbi aspicit, non immutat, quam illum, qui immaturo festinantique cum impetu eundem domare & vincere suscipit. Verum enim & hic est:

*Abstine & efficies quod Medicina nequit.*

6 DISPUTATIO MEDICA

V I.

Nil quicquam divinæ Artis medicæ , cui me ipsum addixi , dignitati detraho , dum spectatorem agere in morbis medicum decere , explicatiūs proponere nitor , probè persuasus , sicuti tam malum semper tacere quam semper loqui , sic reprehendendum æquè esse , ubi factō opus est , morari , otiari , & vanissima spe in sola & inutili circumstantiarum morbi contemplatione acquiescere , quam ubi prudenter speculari & cunctari præstat , medicamentis continuò insistere . Prudenter autem is cunctabitur , & spectatorem aget , qui morborum historias , naturam , causas probe intelligit , quā notitiā instructus , rectamque methodum , quæ arcana omnia supergreditur , tenens , non ignorabit , an remediorum jugis præscriptio requiratur , an vero inducias tales ac moram morbus , curæ Medici commissus , ferat .

V I I.

Turpiter sane decipiuntur graviterque peccant illi , qui , vix auditâ integrâ morbi historiâ , aut expensis circumstantiis , ut videantur remedia in promptu habere , protinus medicamentorum usum injun-

injungunt. Quomodo quæso morbos simulantium, quos doctè nobis depinxit Galenus, technas & fraudes evadent? sæpè vel petulans meretricula, alvi pertinacem obstructionem mentiens, & drasticum poscens evacuans, tales circumvenire, & cum famæ detrimento, ac non sine conscientiæ maculâ misere poterit fallere.

## V I I I.

Concedo lubens, morbos multos repentinam flagitare remediorum applicationem, neque enim membra luxati in locum pristinum restitutio, neque ab internis morbis & humorum pravorum sarcina oppressæ, & veluti subjugatæ naturæ liberatio sine remediis convenientibus (nisi admodum raro) exspectanda est. Sed tamen ex adverso irrefragabile esse puto, valere in morbis etiam gravissimis, quod in ore habent plurimi, pauci tempestivè imitari sciunt; *Qui nescit cunctari, nescit curare.* Etenim talis est morborum plurimorum motus, ut illo procedente, affectus demùm patescat, inter initia ne à sagacissimo quidem distingui se patiatur. Atque tum contemplatores multo sæpè melius quam properantes nimium naturæ turbatores de ægrotantibus merentur. Illi scilicet, qui sym-

## 8 DISPUTATIO MEDICA

symptomatis singulis providè semper notatis; exspectant, usque dum illorum cohors, quæ morbi speciem designare debebat, manifestius sese pandat, lucique exponatur. Exempla habemus in febribus quotidie! Non autem nisi quando febris species per moram magis se explicuit, innotescere potest, quænam huc præcisè spectet medendi ratio.

## I X.

Quanquam nec hoc discrimine careat, cum quo maturius e.g. maligna febris, quæ parvis sæpe primordiis gliscit ac insidias struit, cognoscitur, eo ampliori cum spe à Medico tractetur. Arduum tamen id est, observatorem peritum solerterisque requirit, cum, eleganter hâc similitudine utente Galeno, multi morbi & hic præsertim, in principio æquè ac herbæ, dum prima foliola tenuesque radiculas caulesque suos subtilem exporrigunt, difficilius distinguatur.

## X.

Communia, affectus oppido multos habere signa, ex morborum historiâ clarum est: Quando igitur illa mox exoriuntur, quæ verò certis morborum speciebus propria sunt, seriùs sequuntur, pruden-

## INAUGURALIS. 9

prudentis est , non pronunciare illico , quis sit affectus , neque curam actutum ad affectum nondum sese evolventem , nullaque conjecturâ determinandum , dirigere . Maculis cum corpus defœdari incipit , temerarium & fallax est , si Medicus protinus vel pro Variolis , vel morbillis , vel petechiis , vel pro scorbuticis easdem habet , quando enim coloribus ejusmodi corporis superficies , dum febris aliqua primum invadit , inficitur , nemmo utut in praxi exercitatissimus , certò & infallibiliter morbi speciem designare potest . Hallucinati sunt & vacillarunt , quod expertus scribo , magnam etiam famam adepti Medici in dijudicanda causa doloris latus occupantis , ac per aliquot dies in ambiguo manserunt , priusquam in mentem ipsis veniret , calculum absconditum totius mali autorem esse nephritidem cum colica imò sâpe Pleuritide insimâ confundentes ; cum quibus veluti occultâ quâdam fraude subinde convenit , ut longo usu etiam exercitatus habeat , quod speculetur ; quod volvat animo & revolvat , si cupiat hos affectus accuratè , ut cura requirit , discernere , quod ipsum artis expertissimum Galenum decepit , qui libr. 2. de loc. affect. c. 21. fatetur , se ex calculo sibi obstructam alvum esse putantem , clysterem sibi injicere curasse , unde faburrâ crudorum hu-

B

morum

## 10 DISPUTATIO MEDICA

morum ex hypochondriis quidem ejectâ, tota e-  
vanuit, nullis calculi signis remanentibus.

## X I.

Lentè festinandum æquè in colligendâ affectus specie ac illius curatione tum etiam esse, Artis peritus non inficiabitur, quando consueta symptomata aut absunt plane aut minori numero deprehenduntur, insolita vero alia morbum comitantur. Manebimus in eodem calculi exemplo. Is enim sine omni urinæ difficultate, sine arenoso hujus sedimento, sine vomitibus, aliisque ordinariis effectibus sæpe sese prodit, quæ à causâ aliâ diversissimâ commodius multo deducuntur. Ita Solenander Consil. 4. Sect. 4. testatur, calculum interdum pleuritidem mentiri, hypochondria tendere, eparque ad tactum facere dolere.

## X I I.

Quamvis symptomatum, ferociam delinire, nondum utut perspectâ mali origine, artis sit, & utique Medico liceat. Ejusdem tamen legibus congruit, morbum ante etiam atque etiam & interdum diùdiùque considerandum esse, antequam de causâ quic-

## I N A U G U R A L I S.

quicquam concludamus, & quænam mali sedes, quæ pars primariò affecta, quomodo, quibusque adminiculis à fomite illo liberanda sit, definiamus. Produco ad stabiliendam propositionem hanc dolores, & illum creberrimè mortales excruciantem, Cephalalgiam, quam multiplices agnoscere causas, quilibet, qui à limine, ut loquuntur, medicinam salutavit, intelligit; absconditum tamen sæpe & obscurissimum est, quem scopum in extirpandâ doloris hujus causâ præfixum habere conveniat. Num ab utero caput occupans & molestè afficiens sensus exsurgat, an à ventriculo vel intestinis proficiscatur, vel num in alio quodam viscere illud situm sit, quod per consensum capiti hoc incommodum affert. Neque etiam sufficit affecti loci cognitio, sed mora opus est & longa sæpè speculatione, ut absque præjudicio veram morbi causam humorisque peccantis qualitatem perspicias. Interea tamen temperatis Cephalicis & quamlibet acrimoniam demulcentibus remediis ægro subvenire allaborabit, ne dum cautum agere spectatorem gestit, crudelis ejusdem sit, saltem videatur, neglector.

## X I I I.

Subinde tamen affectus tales per consensum ex-

B 2 citari

## 12 DISPUTATIO MEDICA

citari soliti, quandoque non tantum permittunt, sed jubent, ut Medicus spectator potius, donec morbi infima causa detecta sit, remaneat. Eo ipso enim, dum in doloribus capitis aliarumque partium subitum ac certum lenimen ægrotantibus afferrunt, anodynus cruciatus demulcentibus ægris adulantur, im majus vitium, imò nonnunquam & vitæ discrimen, majori semper acerbitate revertente malo, nec ullis amplius palliativis tandem obediente, ægros præcipitant. Quæ enim symptomata graviora sedant aut potius obtundunt, causam morbi ipsam aggravare, magis rebellem & generosissimis etiam remediis immedicabilem reddere posse tot exempla evincunt?

## X I V.

Virium conservatio inter præcipuas Medicorum, dum ægrotantibus consilio subvenire cupiunt, curas esse, concedunt omnes, dum sine illis actum agere eosdem, & incassum herculea etiam remedia præscribi agnoscunt. Regulæ tamen hujus adeo necessariæ immemores, non in dies, sed in horas sæpe medicamenta sua mutantes, vires frangunt, dejiciunt, & sine omni recuperandæ valetudinis spe cum Medicamentorum varietate & numero, nume-

numerum varietatemque s<sup>e</sup>pe symptomatum simul augent, ut sic non naturae faltem, jam ante morbi violentia debilitatæ, vis inferatur, sed ipsi etiam morbi quasi nutriantur. Mirum ideoque non est, sine Medicinâ omni sibi relictos vigorem s<sup>e</sup>pe citius, quam Medicorum præscriptis utentes, sanitatem recuperare.

## X V.

Valere hoc putem in morbis non paucis, & vi-  
sus sum id mihi animadvertere in Quartanæ curâ.  
In hac enim aliisque pertinaciter accessus suos re-  
petentibus febribus prudentius illi consulunt affi-  
ctis, qui, ut pristinum vigorem digestiones reci-  
piant, eosdem antifebrilibus tremendis abomi-  
nandisque potionibus, de quibus habet ventricu-  
lus quod conqueratur, diu non torquent, sed  
ab omni ejusmodi arcanorum, arcanâ methodo  
nonnunquam necantium usu, ut febricitantes ab-  
stineant, præcipiunt; chylificationi commodis  
& naturae amicis paucisque medicamentis subve-  
niunt, ægris sic viribus pedentem resumentibus,  
& edulcoratâ correctâque per laudabilem suppedita-  
tum ex primis viis chylum Massâ sanguineâ, pa-  
roxyfmis febribus veluti sponte evanescitibus.

## X VI.

## X V I.

Perfacile esset, argumentis plurimis evidentissimis comprobare, quod medicamenta, vires, ipsamque in centro veluti functiones integras servantem naturam, debilitent, ac infirmores reddant infirmos, quod utinam notarent illi, qui ad ægros vocati nihil digni se fecisse persuasi sunt, quando medicamentorum farragine illos non onerarunt, non crumenæ saltem, quod tolerandum esset, sed sanitatis etiam manifesto in illos redundante damno. Qui imitari nolunt, aut quoniam intimum illius sensum non capiunt, nequeunt prudentissimum divini sensis monitum: *Optimam sœpe medicinam esse, nulla uti.*

## X V I I.

Evacuantia non sine virium jaeturā operationes absolvere posse, à nemine, ut equidem confido, vocabitur in dubium, neque de alterantibus, si quomodo agant in spiritus, humoresque contemplēmur, id prolixæ demonstrationis erit. Nec enim volatilia salia, nec oleosi aut sulphurei spiritus, nec acida, nec lixiviosa, nec terrea hic eximi debent. De refrigerantibus autem, anodynīs,

## I N A U G U R A L I S. 15

nis, narcoticis & similibus res per experientiam dudum confirmata.

## X V I I I.

Et quanquam nec sanguinem humoresque spirituum vehicula dissolvendo, texturamque ad spiritus retinendos convenientem immutando, figendo, vel movendo nimium aut dissipando robur corporis imminuunt, faciunt tamen id alterantia medicamenta multa ex eo, quod digestio nem ciborum in ventriculo & intestinis, cui tanquam fulcro tota fermè hominis sanitas superstruc ta est, corrumpant & labefactent, quod per specialia, qualia magno numero animo obversantur, idcirco non illustro, quoniam concinnis thesibus me absolvere constitui.

## X I X.

Optandum esset, morborum ferociam medicinam omnem non tam frequenter eludere, quotiescunque tamen id fit, solo ex arte petitō prognostico si se involvit artifex prudentius agit, quam si nihil profuturis remediis se Artemque suam prostitueret perrexerit, non semper enim verum est, quod alias in omnium ore: *Melius esse anceps remedium quam*

16 DISPUT. MED. INAUGURALIS.

*quam nullum. Extremis morbis extrema applicanda  
esse remedia. Alia quippe mens erit juxta perpe-  
tuum in Medicina facienda præceptum rem exami-  
nanti, efficax nempe & magnum remedium mini-  
me adhibendum esse perspectâ solâ ægritudine, sed  
etiam ægrotante, cum turpis & Medici famæ sum-  
mè infestus eventus, porrecto medicamine ægrum  
perire.*

FINI S.

